



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Nuclevs Coppensteinivs Conceptvvm Prædicabilivm In  
Dominicas Festaqve omnia per Annum**

**Coppenstein, Johann Andreas**

**Mogvntiæ, 1624**

In Die Cinervm. Memento homo, quia cinis es, & in cinerem reuerteris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51556](#)

## IN DIE CINERVM.

*Memento homo, quia cinis es, & in  
cinerem reuerteris.*

**A**gyptij, teste Herodoto & Plut. in con-  
ui. 7. Sap. medias inter, feruentesque  
epularum hilaritates caluariam inferre  
sueuerunt, que in mensa per singulorum  
tradita manus obibat spectaculo modi-  
peratore clamante:

*Huic similes erimus: Memores iam viuite  
Lethi.*

Simile Deus, inde ab rerum primor-  
dio, usurpauit, iniecit homini brutorum  
pellibus mortuorum. ut tumulo se debe-  
ri viueret memor. Ecclesia refert inter  
bacchanalia cineres, & ait: *Memento homo,  
quia cinis es, quasi dicat. Vanitas in epulis,  
gaudiis, honoribus: & vita summa breuis  
fides longas inchoare vetat, ut canit Horatius.  
Ergo Memento homo, quia cinis es: ac pœni-  
tentiam arripe.*

Cuius ergo nos

- I. *Dei, & efficacia Pœnitentiae.*
- II. *De cinere, ac puluere.*
- III. *De hominis fragilitate, ac memoria  
mortis.*
- IV. *De ieiunio, & carnis maceratione.*

## P A R S I.

*Dei & efficacia Pœnitentiae.*

*Sacramen-* I. **O**ribus orbis cœlestibus, dominis  
*tum est effi-*  
*cax.* rerum naturæ inferiorum, septem  
infixit Planetas Deus; è quibus in corpo-  
ra, velut alumnos suos, magna efficacia  
dimanarent influxus. Sic Ecclesiæ septe-  
na dedit Sacraenta Iesu. In quibus  
Pœnitentia tantum est; quanta eiusdem  
& necessitas, & salubritas.

*Et azylū.* Utque Romulus, teste Plut. in Romulo,  
Vrbem conditus, facinorosorum ape-  
ruit azylum; quod configis indemnita-  
tem praestabat: Ita Iesu in ipsis Ecclesiæ

cunabulis primum, quod instituit, Pœni-  
tentia erat: quam & suus Prodomus, &  
Ipse prædicarunt: Panitiam agite, quo-  
niā appropinquat regnum cœlorum. Ad  
hanc nemo damnis est: indemne omne  
nefas, & expiable scelus omne.

1. Triste terris diluuium, Gen. 7. crimi-  
num erat eluuium. Magis iam Pœnitentia,  
quanto Veritas maior Figura. Est ea 1. Perca-  
Iordanis, 4. Reg. 5. Naamanis lepram e-  
luit. mundans.

2. Mare rubrum Aegyptios, quotquot  
erant, obruit omnes, Exod. 14. Psalm.  
105. Ut ne unus quidem superfluerit ex eis.  
Sic rubricata Christi Sanguine Pœnitentia,  
contritionis vndis peccata demer-  
git.

3. Ipsa est funda David, 1. Reg. 17. tribus  
instructa silicibus, Contritionis, Confes-  
sionis, Satisf. sternendo Goliatho, pecca-  
to. 4. Est Scala Iacob, per quam peccato-  
res facti Angeli scandunt sursum. 5. Est  
Probatica, Ioan. 5. morbi genus omne cu-  
rans. 6. Est vastus in hoc freto Cetus, Ioan. gratia.  
7. Ionarum absorptor, & saluorum inli-  
tus restitutor. 7. Est Virga Moylis Iesu, æ-  
gyptiacorum serpentum, ac draconum,  
peccatorum, inquam, deuoratrix. Exod. 7.  
Ea nunc pullis induit aluget; pastaque ie-  
iuniis Filia cœli, Tutela virtutum. Ipsa  
nunc pro auri crinalibus, cineres: pro de-  
liciis, cilicia, pro torque, flagra usurpat  
pararia domicella: Felix in ea, ut videtur,  
miseria: læta intus in luctu foris.

## P A R S II.

*De Cinere, ac Puluere.*

I. **C**ineras semper peccantium portus, Cineris  
salusque fuerunt. 1. Niniuitæ Ioann. efficacia.  
3. ad Ionæ prædicationem, in cineribus 1. Adian-  
salutem inuenierunt. 2. Abraham vero Deipla-  
& gratiam: Gen. 18. Nam cinerum me-  
minitante, quam ausit loqui Deo. Ego 1. Ad gta.  
puluis,

*Adser.* puluis, & cinis loquar ad Dominum. 3. A-  
matem. chab. 3. Reg. 21. ab ira Dei se condebat in  
cinere.

*Ad sol.* 4. Job cap. 10. solatum in cinere quæ-  
rebat, Memento, ait, quod sicut lutum feceris  
me: & in puluerem reduc me: quali dicat;  
An contra puluerem ostendes potentiam tuam,  
& iustitiam distringes? O vim cinerum,  
poenis, culpisque ardens: refrenandis  
cupiditatibus, parandis omnibus?

*Ad ilu-*  
*suum pec-*  
*uorum.* Lixiuum fit, cineribus percolatum:  
peccatorum eluuum est lacryma per  
nouissimorum memoriam ducta, & eli-  
cita. Da hanc Domine, & Psalm. 50. lauabis  
me, & super niuem dealabor.

*Ad pro-*  
*vidas* Vt Daniel, cap. 14. cineribus in fano  
sparsis sacrificiorum imposturas deter-  
xit, draconemque destruxit. Ita memo-  
ria nouissimorum technas carnis, mun-  
di, &c.

*legum* II. O cineres vere regios? Nam Regem  
Ninius, & Achabum, & Daudem ad  
faccum adegit, Psalm. 100. Cinerem  
tanquam Panem manducabam. Quare &  
vos nunc ô Reges, intelligite idem. Cineres  
non Vestri sunt dedecores: sed vestri  
sunt ipsi, iam inde ab maiorum vsu ve-  
strorum.

*dimis-*  
*to* Vestra quoque sunt iidem hereditas,  
Matronæ. 1. Esther. ca. 14. cineribus se, vel-  
ut aromatibus, perfudit. Etiops tamen  
quid venustius: gratiosius: regifcentius?  
2. Iudith. cap. 9. ipsa pulchritudo, Oculus Is-  
rael dicta, loco stibij se cinere incerussa-  
uit; strinxit lumbos cilicio.

3. Filiae Ierusalem, Thren. 3. in transmi-  
gratione Babylon. abiecta humi capita  
nimbo cinereo perfuderunt. Idem nunc  
tempusque, peccataq; vestra reposcunt.  
Memento, homo, &c.

*Rem pul-*  
*uorum* III. Repete ortum tuum: unde domo?  
quotendis? E terra, in terram, terra ho-  
mo. 1. Physica est Maxima: Ex quibus v-  
numquaque componitur: in eadem & resol-

uitur. Terminus à quo, puluis es: ad quem:  
& in puluerem reuertaris. 2. Mathematicum  
est principium: Omnes linea, à centro ad  
peripheriam ductæ, sunt aequales. Ita & Horat.  
Mors sceptra lagonibus aequat. Rex, sexque  
hominum s̄ies, cīnīs es, & in cinerem reu-  
teris. Centrum vnum, vnaque circumfe-  
rentia omnibus est, lineis aequalibus  
mensurata mortalitatis. 3. Honorum hic  
vmbra brevis breue iacit discrimen;  
quod vna luci intercurrentis nubecula  
mortis extergit: Et Fūimus Troes.

Memento homo, quia cinis es: 1. Et domus Hominis  
tua super arenam structa: Matt. 7. quæ ad domus lu-  
vnum Aquilonis fabrum corrueat. 2. Ut te adest  
ad procellam primam Iobi domus euer-  
sa, cunctis dedit liberis eius sepulcrum  
epulantibus. Job. 2.

3. Atrocius Philistææ ruina domus:  
obruit omnes, Iud. 16. subtractis duabus  
ab Samsone columnis. Et tuæ domus ho-  
mo, columnæ quæ? Cinis es. Et quæ tua  
confidentia? Imprudentia. Crede,

Omnia dispereunt: præter amare Deum.

4. Qualis statua colossæ Nabuchodo-  
nosoris? Caput aurea: argentea pectus &  
brachia: ventrem & fœmora ærea: lutea  
pedes. Et hi ad leuem tactum lapsi de  
monte lapilli dissiliunt, neque ruina mo-  
lis vniuersæ, ac obtritio. Ita euenaureis  
honoribus ac opibus, æneo robori, fer-  
reæque potentia, luteo innixis homini:  
ruente quo casu ab monte fortuna. Te  
nosce, & sape: quia cinis es.

### P A R S III.

#### De homini fragilitate, & memoria mortis.

1. Perge iam, Philosophia præsca efferre Homo sic  
hominem: 1. Tu Hermes Trismegisti magni-  
ste dic eum Miraculum magnum.

2. Pythagora, Deum, dic: at mortalem,  
Nihil eum nostis: principium eius est  
puluis: medium, cinis: finis, vermis. 3.

Iam

Iam Plato in Timæo dic eum diuinum genus. 4. Tuque Photine: Quoddam Vniuersum & microcosmum appellatis.

*Vnus est o.* 5. Sed ego te Magne Gregori, deminuus creator; Quod hom. 26. in Euang. istud: Prætura.

Ettamen omnia puluis idem. 5. Sed ego te Magne Gregori, deminuus creator; Quod hom. 26. in Euang. istud: Prætura. dicate Euangelium omni creature, id est, ait, homini. Ergone in uno omnium est rerū creatarum pretium? Et vero est: Est tamen & cinis. Esto habeat esse cum saxis, vegetari cum querubus ac cedris: sentire cum leonibus, intelligere cum Angelis: est tamen cinis. Bene Psaltes. 11. Est tanquam puluis, quem proicit ventus à facie terra. O ventorum ludibria mortales!

*Est figulinus ac fragilis.* Agathocles, ex figuli filio Rex factus Siciliæ, vt fortis vtriusque, præsentis ac præterita, viueret memor; in figulinis & aureis cibos mensa voluit inferri: Sicut & VViligises primus Elector Moguntinus, Basilicæ conditor Cathedralis, vir vere Magnus, in Moguntiaca intulit Insignia rotam carpentariam; (quod filius hamaxurgi fuisset, atque ex tantulo tantus emerisset. Et homo figuli est filius figulinus. 1. Job. 10. Manus tua fecerunt me, & plasmaverunt me. 2. Ieremias clamat: Terra, in esse: Terra, in fieri: Terra, in conseruari: Et quid superbus terra, & cinis? Eccl. 10. Noli igitur altum sapere sed time.

*Istius memoria humiliat.* II. Quid pauone superbius? Ad visos tamen pedes suos cristas ponit. 1. Te intueare, qui homo vanus in superbiam erigeris, tanquam onagrum te liberum natum putans, Ecce Thren. 1. Sordes enim in pedibus eius, & in circuitu eius hostes eius.

*Etiam potestissimos quoque.* 2. Quantuscunque fuerit Xerxes, suum tamen exercitum inumerum ex edito speculatus, acerbe est illacrymatus; teste Plutarch. & ait: Heu, tot ex hominum myriadibus nullus post annos centum superstes erit. Abibunt in cineres. Et nos malis, mortique illætabimur?

3. Refert Platina in Cœlestino III. Saladinum, Regem Aegypti, vicinum morti

dedisse præconi indusum: iussisse per urbem, id circumferri, ac proclaimari: Magnus Saladinus Orientis subjugator, Asia dominator, terror orbis vnicum hoc indusum, ex omnibus tropis suis secum auferit. Ehem, cineres, quid nō potestis, inspecti proprius? Tuam cernis vilitatem? Iam mox indues humilitatem.

Memento 1. conditum te non ex igne, Omnia ut stellæ; non ex aere, vt venti, sed è terra na corporis elementorum infimo: Ethuiustu puluis sunt fluxus, es. Eti montes complanes, maria ponte sternas, morieris. 2. Sis Hercules robore, deliciis Lucullus, turres Babyloniae construas, moriere. 3. O nymphæ, vester flos iste Veneris emarcescet, extructa & mittella crinium fastigia cadent, delicata membrilla verminabunt. Memento, quia cinis es.

1. Philippus, Rex Macedo, ab puer o- Ideo mori mane salutabatur hisce: Memento mori Rex: Sic Aelian. l. 8. Var. cap. 15. Vel, vt alij, Hominem te memineris,

2. S. Chrysostom. Sur. t. 1. sepulchrum fibi effodi iussit, non perfici: sed quotidie interrogari, sele; Vin' perfici?

3. Ad Imperatorum inaugurationem olim aceruuus marmorum accumulabatur, interque medium pompam ex Imperatore exquirebatur, quo marmoris genere velittumbam fibi excidi?

4. Lycurgus; Laconium legislator, vt Plut. prodit; sanxit, vt bustaria in urbis medio constituerentur, & ex eis mortem singuli ferrent in oculis. Nostra nobis nos sumus cœmeteria, memorando mortem. Atque ita pullati vestem induerimus cinereum.

## PARS IV.

Dejetunio, & carnis maceratione.

I. Istius habitus similes sunt epulæ ipsa Quadragezia, deliciae Quadragesimæ, & gestimata hæc epula.

hæc delicium Pœnitentia est: 1. Digna Iesu, Moysè, Elia. 2. Epulæ pretiosiores Cleopatranis, Lucullianis lautiores: Asuerianis regifcentiores, Eſth. 1. 3. Quas Exod. 29. Moyses inchoauit: Elias, 3. Reg. 19. prosecutus est: Iesu Matth. 4. confirmavit. Acta à singulis in montibus per dies 40. vbi radices, missus: rupes, mappæ: mensa, ablato mensæ; torrens, falernum est.

Dies 40. Niniuitis dati pœnitentia; Ion. 5. Hi totidem & nobis. Aahuc 40. dies, & tua Nir: iue subuerterur. 2. Israelite annis 40. per desertum errarunt ærumnosi: Num. 12. demum ægre in terram promissam introducti cum hosticalusta varia. Ita nos hic. 3. Noe dies 40. in Arca, imbrum, ventorum, cœlique iactatus in iuriis durauit: demum in montibus Armeniae conquieuit. Gen. 8. Nec tibi molliora spes, ò anima pœnitentie in arcum te include; diluuium sustine pœnarum: Dura, perdura.

Et adhuc superstitionem esse crimina buntur quadragesimale ieunium, Epicuri de grege porci hæretici? Vah natos ab domini ventricolas: quorum Deus reenter est, & finis interitus. Quam nobis ex ieunio calumniato; eandem Moysi, Elia, Iesu irrogatis iniuriam. Quin & Apostolis, primæaque Ecclesiæ. Teste Hieron. Epist. Contra Montan. tom. 2. & in Oseam cap. 18. Nos vnam Quadragesimam, secundum Traditionem Apostolicam, anni tempore nobis congruo obseruamus. Eadem Amb. August. Bafil. Orig. Hom. 10. in Leuit.

II. Eiectos paradiso per esum vetitum, vetitus restituit Iesu: virtus comprimit, mentem eleuat, virtutem largitur, & premia: & Matth. 9. Hoc genus demoniorum non eiicitur, nisi in oratione & ieunio. Mirum triumphum ieunij! Urbes cladibus eripit: dæmones conterit: Deum vincit.

I. Hebræos indictum ab Estherie ieun-

nium ab interitu liberat, Eſth. 4. Amane suspenso. 2. Prisci Patres, quod extorque re cœlo volebant; pro eo ieunia suscipiebant, teste Augustino.

Instituti vero huiusc ieunij causa est, Finis insti-  
nostræ carnis insolecentia aduersus <sup>tutus est car-</sup>  
Spiritum. 1. Illa, vt Esau vorax, prote  
nauci, gulæque irritamento ius omne  
primogenituræ, seu vitæ beatæ, diuende-  
re floccipendit. Qua etiam causa fratrem  
suum, Rationem ac spiritum, exosuma  
habet, & persecutur. 2. Eua, Gen. 3. Ada-  
mum pomi illicio tentat, & cuerit. 3. Da-  
lila Samsonem, in sinu suo quiescentem,  
soporat, detondet, eneruat robore, inne-  
tit funibus: hostibus tradit. Iudic. 16. 4.  
Pellec Putipharaæ castum solicitat Iose-  
phum in nefas: at voti imposta facta sui, ar-  
dorem cupidineum in odium vertit ac  
rabiem, persecutrix innocentis, Genes. 39.  
Talis Caro concupiscit, ac furit aduersus Spi-  
ritum.

III. Quare edomanda est. 2. Cor. 6. In Caro do-  
laboribus, in vigiliis, in ieunis. Age, fac Car-  
ma. ni, quod Tobias pisci. Tob. 6. Hic yndis in-  
natans, Tobiæ inuasor; Angeli iussu in  
sicciam extractus exenterabatur: Sic ani-  
ma carnem ex deliciis, atque cupidiis in  
sicciam xirophagiæ esurialis extrahat, ex-  
tenuet pœnitentia. Nam

Luxuriat raro, non bene pasti caro.

Quare ad arma, ad arma aduersus do-  
mesticum hostem corpus hoc nostrum.  
1. Praicit exemplo Dux Paulus, 1. Corinth. Exempla.  
9. Castigo corpus meum, & in seruitutem redi-  
go. 2. Dux Anachoretarum Sanctus Hil-  
iarion, teste Hieron. cap. 1. Epistol. in vita  
Hilar. Ego, a felle faciam: (sic is corpus suum  
alloquebatur:) vt non calcitres; nec te hordeo  
alam, sed palei: fame te conficiam & siti: graui  
onerabo te pondere, vt cibum potius cogites,  
quam lasciviam. O bellum o bellum! 3. Si-  
mili carnem debellauit Euagrius, The-  
baidos incola deserti. Hoc flagris cor-

D d d d d      pus

pus diuerberante, vt rāpes ab iictibus re-  
sonarent; excitus alias virum sanctum  
increpat, & domandum, ait, non enecan-  
dum corpus esse: monet, s̄euire faceſſe-  
ret. Cui is hoc tantum: Quiescat ille, & qui-  
escam ego.

*Perora.* Quare, si hostales admiremūr;  
imitemur certe Dauidem. Psalm. 34. Hu-  
miliabam, ait, in ieunio animam meam. O-  
bedite Iohanni, capite 2. Conuertimini ad me  
in toto corde vestro, in ieusio, & fletu, & plan-  
etu. Reuertere igitur Sunamitis, conuertere Ie-  
rusalem. Vocantem audi, imperanti ob-  
tempera; metue comminatē. Dic  
cum Psalm. 56. & 107. paratum cor meum  
DEVS, paratum cor meum te per deserta ad  
Caluariæ sequi montem, sanctificare  
ieiunia & pœnitentiam: tantum Adiuua  
Deus.

FERIA V. POST CI-  
neres.

Cum intrasset IESVS Capernaum,  
accedit ad eum Centurio.

Matth. 8.

**R**Ex Dauid, 1. Regum 30. dum Amale-  
citas latrunculos persequitur, forte  
incidit in derelictum ab istis seruum Ae-  
gyptium ægrum: quem Rex suscepit, re-  
focillauit; vsusque ductore est; vt victo-  
riam ab hoste reportarit. Sic Centurio  
in suum affectus seruum, pro ipso labo-  
rat: & exorat. Hocque amplius euin-  
cit; vt suum sub tectum intraret Do-  
minus.

Circa quæ nos

- I. Deiustificatione militaris animi.
- II. Qui Centurio?
- III. Qui milites Centurionis?
- IV. Quis paralyticus seruus Centurio-  
nis?

PARS I.

De iustificatione militaris  
animi.

**M**Vlt̄a sunt admiranda: in quibus fa- *Iustificatio*  
cile princeps Remissio peccatorum *est Dei op-*  
est, seu Conuersio peccatoris. 1. Vt affir- *rumma-*  
mare non vereatur D.Th. 1. 2. q. 112. M. *ximum.*  
ximum opus Dei *est iustificatio*, & remissio  
peccatorum. 2. Secundum Psalm. 144. Mis-  
erationes eius super omnia opera eius. 3. Hinc  
erat Ecclesia iam quotidie: Deus, qui par-  
cendo, & miserendo potentiam tuam maxime  
manifestas.

Creatio mirandæ est potentiaz: sed iu- *Maine*  
stificatio maioris. Verbo creavit omnia: *Creatione*  
arqui ut peccatum originale aboleretur  
5000. annis laboratum est: & de-  
num 30. annis quanta tulit ob idem? Il-  
lic. Psal. 148. Dixit & facta sunt: hic, Luce  
24. Oportebat Christum pati, & sic intrare in  
glorian.

Tantæ molis erat, ex fero leone face- *Similia di-*  
re agnum humilem, ex diabolo ange- *seru, & /a-*  
lum, ex idololatra Christianum, & seruo *xxii anni-*  
mundi libertum Domini. 1. Ita Dan. 4. *misi.*  
Nabuchodonosor prius in bestiam con-  
uersus fuit; quam ab Daniele conuerte-  
retur. 2. Deus, Exod. 17. mandarat Moysi  
tantum præcipere petræ, daret aquam:  
ipse vero etiam virga percutiebat; & vix  
tamen credebat promanaturam aquam.  
Sic anima peccatrix non verbis solum;  
sed virgis ad conuersionem impellenda  
est, vt fluant aquæ pœnitentiaz. 3. Pirata  
talem, toto marilibertatis euagantem, ad  
litus pœnitentiaz ducere: laboris est & va-  
lidæ gratiaz.

Idque maxime in militibus cernit. *De Milita-*  
Vtaer & ignis, tanquam symbola elemē- *ribus 200*  
ta, facile in se se commutantur, vt aer fiat *maxima-*  
inflammatus: at symbola, vt ignis & a-  
qua, non item Vnde in irum, si aqua arde.  
re cerneretur. Ita ciuem, vulgaremque *homini-*